Quelle: https://manuscripta.at/?ID=47062
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster



filis – Abbati Cyster. et singulis Conabbatibus et Conventibus universis Cisterciensis ordinis Salutem et apostolicam benedictionem. Meritis sacre nostre religionis inducimur ut favoris benigni gratia vos ingiter prosequentes, paci et tranquillitati vestre ne in virgiorum concutiatur procellis in posterum consulamus. Lecta siquidem coram nobis Universitatis vestre petitio continebat. quod licet ordini vestro a sede apostolica sit indultum ne per litteras sedis eiusdem conveniri possitis que de ordine vestro non fecerint mentionem. non nulli tamen Ecclesiarum Prelati et iudices, vestris libertatibus invidentes, cum aliquas litteras sedis predicte ad eos impetrari contigerit, in quibus generaliter continetur quod non obstante aliquo privilegio seu indulgentia tam exemptis quam non exemptis eiusdemque ordinis existant a sede nominata obtenta, per que attributa ipsius iurisdictionis explicatio impediri valeat vel differri, et de quibus fieri oporteat mentionem, in vos iurisdictionem vendicare, nec non litterarum ipsarum preterea vos evocari ad se ad iudicium non verentur in totius vestri ordinis maximum preiudicium et gravamen. Vestris itaque supplicationibus eo favorabilius annuentes quo firmus ordinem vestrum esse aliis recte vite speculum, et salutifere conversationis exemplum. ut conveniri per huiusmodi litteras non possitis seu ad iudicium evocari, que de dicto non fecerint ordine ac de hac indulgentia mentionem. nobis auctoritate presentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Signis autem hoc attemptare presumpserit indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Anagnie VIII. kalendas Octobris Pontificatus nostri anno primo.

Ultimum denique, Datum Anagnie Nonas Octobris, Pontificatus nostri anno primo, indulget Pontifex, ut ad prestationem aliquarum collectarum, subsidiorum et aliarum exactionum, imponendarum vobis et Domibus vestris a Sede Apostolica seu Legatis eiusdem, aut ipsorum auctoritate et mandato, non teneamini per litteras ipsius Sedis ac Legatorum eius, que plenam et expressam de indulgentia huiusmodi et Ordine vestro non fecerint mentionem.